



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

III. Ex omnibus praeteritorum temporum haeresibus consarcinata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

his hunc ille articulum postea retractarit, vt in 11. Operum ipsius Tomo legere est. Cum VValden- sibus & Pauperibus Lugdunen- sibus vult; *Pastoribus & Prelatis Ecclesiasticis non licere bona temporalia possidere.* Cum illis hereticis qui Berengarium sequuti sunt, *admirabilem & supernaturalem Trans- substantiationem in Eucharistia negat:* cum Nestorio, teste Cyrillo negat *corpus Iesu Christi esse in Eucharistia, extra vsu Sacramenti.* Cum Græcis hereticis & Schismaticis affirmat, *necessariam esse in Eucharistia utriusque speciei (Panis & vini) sumptionem.* Quid tamen de S. Eucharistia seu Cœna Domini senserit, plenius libro 21. exponam. Cum VVicleuo effectum & potestatem Excommunicationis reuocit: cum laicis VValden- sibus, *potestatem seu auctoritatem Ecclesiasticam:* cum Nouato, *potestatem remittendi peccata.* Cum Arrio omnem Traditionum Ecclesia memoriam abolitans cupit, *pedibus manibusque soli scripto Verbo affixus.* Vt paucis multa concludam, ab omnibus hereticis aliquid mutuatus, tanto formosius hæreticos corpus efformaturum se putabat, quanto è pluribus atque inter se diuersis membris ac partibus esset compositum. In quo sane non leuiter peccasse mihi videtur, qui non præuiderit si quisque suum ab ipso repetierit, se tamquam Æsopicam illam corniculam in medio nudum relictum iri. Sed & Iudæorum Synagogam intrare & aliquid ab eis dicere non dignatus est. Quemadmodum enim illi docent, Postello teste, *peccatori quamprimum penituerit, remissum esse peccatum:* sic Lutherus explosa Pœnitentia quæ iram Dei sedat & prædestinationem rumpit, nullum salutare remedium animabus applicandum ducit: sed *vel unum, ait, (a) suspirium ad Deum emittit, & iam tibi obsignata erit gratia; immo quanto eris sceleratior, tanto citius Deus in te gratiam infundet.* Illa vero Contritio quæ fit per discussionem, recollectionem & detestationem peccatorum, quando scilicet homo præteritos annos & offensas in memoriam reuocat, grauitatem, multitudinem, fœditatem & magnitudinem peccatorum, ac vitæ æternæ iacturam expendit: *talis, inquit Lutherus, Contritio hypocritas, adeoque maiores quam antea peccatores facit.* *Ista, ait, satisfactiones nihil aliud sunt quam tormenta & carnisceina conscientiarum. Homines nati sunt liberi. Ipsi Angeli nullam homini imponere legem possunt. Nemo hominum super Christiano vel vnam syllabam statuendi ius habet. Restituendum est Euangelium, & abicienda hominum seruitus, &c.* His & alijs emblematis splendet totus ipsius liber De

Capriuitate Babylonica: quibus latissimam in omnili- centia viuendi fenestram aperiebat, & tamquam classico vniuersum Mundum ad vitiorum castra conuocabat. Omitto hic ea quæ idem ex Alcorano desumpsit, de quibus post.

III. Porro desiderium bonæ apud Græcos Patriarchas ineundæ gratiæ (vt scilicet cum iis velut coniunctis communis odii erga Romanum Pontificem castris, tanto magis Romanæ nôcete posset Ecclesiæ) in causâ fuit vt in multis tam ad Fidem quam ad Cæremonias spectantibus, cum Græcanica Ecclesia similitudinem aliquam affectarit, ac præsertim in Liturgia Lutherana, vt V. libro ostendetur. De Græcorum verò Fide & Cæremoniis, quod ex a nostris auctoribus obscurius aliquanto descriptæ sint, multa ego non sine labore cum pluribus circumstantiis non scriptis, aliunde collegi: quæ Lectori non poterunt esse non grata. Græci igitur, vt hinc potissimum exordiat, Missas seu Liturgias suas iisdem fere verbis & precatationibus peragunt quibus Latini. Exemplar nos in manibus habemus, eadem forma, qua S. Basilij & S. Chrysostomi opera, impressum. Ipsa Missa longior est aliquanto quam nostra, sic vt ei celebrandæ tres aut quatuor horæ impendendæ sint; si adhibeatur cantus Symphonicus. Vnam tantum quotidie in Patriarchalibus Ecclesijs recitant: sed in Monasterijs pro deuotione Religiosorum plures celebrantur. Idem à Lutheranis fieri postea animaduertes, Horas Canonicas & Officia quotidie cantant, sed non Missam. Feria enim secunda, tertia & sexta non celebratur Missæ Officium. Ordinis Ecclesiastici homines eodem fere vestitu vtuntur quo Episcopi nostri aut sacerdotes: quemadmodum etiam multis in locis Lutherani. Sacerdos celebraturus, ad Altare accedens, pedes imaginis Saluatoris nostri in plana tabula depicti, deinde S. Virginis, S. Iohannis, & eius Sancti qui Ecclesiæ est patronus, deosculatur. Neque enim ab imaginibus plane abhorrent, vt nec Lutherani. Recitatis consuetis precatationibus, panis modicus ad Altare portatur, in quo Crucis signum (superna parte est expressum, & circumscriptum his verbis: *(b) βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων*, id est, *Rex Iudæorum.* Inde sacerdos celebrans hastulam sumit vtriusque acutam, eam qua Saluatoris nostri pectus confixum fuit, representantem: eamque partem vbi Crucis signum est, exsecat, iisdemque verbis quibus nostri

a In Assert. art. 5. & p. b Finit Græcorum.

faciendos consecrat. Reliquum panis populo dividitur, ut apud nos panis benedictus. Postea vinum in Calicem infuso, aquam admiscet, è vase sartagini prunis ardentibus plenè imposito haustam, & aliquantum calefactam: ad representandum, meo quidem iudicio, pro nobis effusum sanguinem, qui natura calidus est, quamvis alij existiment eo Spiritus sancti descensionem figurari. Sic igitur Calicem & particulam illam panis rotundam accipiens, templum cum odoramentis & incensis obit, populum ita inclamans: *Ecce Deum vestrum. Adorate eum.* Cui mox omnes acclamant: *Credimus, Credimus:* in Crucis formam complicatis manibus, & capite ad terram inclinato. Reversus dein ad altare sacerdos, preces continuat, tum quidquid panis sub crusta cui Crux impressa fuerat, remanuit, in vasculum mittit; eumque populo communicanti distribuit. Neque enim sine communicantibus vlla ab eis Missa celebratur.

Ab his non valde discedunt Lutherani, qui hostias quoque, quæ apud ipsos ijs, qui Sacramenti recipiendi gratia altare accedunt, exhibentur, seruant. Græci sacerdotes communicantibus exiguam panis reservati micam lentis magnitudine, cum guttula vini consecrati, in cochleari in aurato, & sic duobus speciebus, pane, vino & aqua commistis, porrigunt. Idem etiam Lutherani faciunt, vno hoc à Græcis differentes, quod vna gutta contenti non sunt. Panem consecratum Græci ad ægrotos ferunt. Idem faciunt Lutherani: illi quidem cum lumine & face: hi vero sine vllis Ceremonijs, adeo ut Minister seu Prædicans hostias suas sub pallio aut in pera portet, ac demum apud ægrotum consecret. Græci in Confessione Sacerdotibus conscientiam suam denudant: aut altari innitentes, aut recti stantes; idem à Lutheranis, ac præsertim Augustæ, Lubecæ, Bremæ visitatum: alijs enim in locis in genua procumbunt aut adsident excipienti confessionem. Græci voluerunt ut sacerdotes mariti esse sinantur: quod vnum Lutherus plusquam cetera omnia Ecclesiæ dogmata mordicus arripuit & defendit, ut infra in eiusdem Nuptijs quas descripsimus, plenius cognosces.

Sed ut totam Græcicæ Ecclesiæ faciem videas, & quibus in rebus cum Lutherana conveniat, quibus discrepet, pauca addam. Patriarcha Græcorum semper è Monachorum ordine, qui S. Basilij dicitur, qui que vnus in vniuersa est Græcia,

adsciscitur, nec nuptias contrahere potest. Nam apud Græcos quoque Monachi, qui votum castitatis fecerunt, in coelibatu perpetuo viuere tenentur; ut etiam Episcopi, qui nec vxores habent, nec carnibus vescuntur, non minus quam ipsorum Patriarcha. Suasit aliquando Philippus Melancthon ne ad Ecclesiasticas dignitates vxorati vocarentur, quod verèdum sciret esset ne hoc modo Ecclesiastica bona dissiparentur aut alienarentur; sed consilium hoc quod Luthero minus placeret, facile fuit repudiatum.

Apud Græcos si Diaconus velit fieri sacerdos, necesse est ut antequam ordinem suscipiat, vxorem ducat: alias eo suscepto, à nuptijs postea abstinere cogitur. Vxore vero mortua, idem fit Monachus. Sic etiam marito mortuo, vxor alteri nubendi potestatem non habet, sed & ipsa Religiosarum monasterio includitur. Luthero id valde rude & inhumanum visum est; qui ut Monachus seu Religiosæ vitæ capitalis fuit inimicus, ita omne castitatis votum caue peius & angue oderat. Pro eo enim quod Græci sacerdotem, vnam tantum & vnicam vxorem habere volunt, Lutherus quot quisque velit ducendi ac permutandi potestatem ius permittit, ut libro III. ex ipso Lutherani Euangelij textu à nobis probabitur.

Vides opinor, quomodo ex veterum hæreseon ac schismaticæ Ecclesiæ rudibus & parietinibus Lutherus suam Ecclesiam ædificarit: in qua si materies vitiosa est, ipsa certe symmetria & structura multo est vitiosior. Quia ut testatum faceret quam ab omni ordine abhorreret, & confusionem amaret, pronunciauit, *Summo Pontifici in Ecclesia nihil opus esse: eandem visibile caput habere non posse: immo contra Dei verbum esse, ut in supremo Hierarchia gradus vnus solus collocetur.*

Quoniam vero non ignorabat dogmata sua & opiniones ex aliorum hæreticorum & schismaticorum fontibus haustas iam olim ab omnibus Concilijs damnatas esse; atque in primis Christianæ Fidei structuram quatuor illis generalibus concilijs tamquam solidissimo cubo inniti, ut Gregorius ait: (a) inter cetera asserere non dubitauit, *Concilijs illis seu SS. Patrum Conuentibus Spiritum sanctum non ita præsuisse, ut tam in moribus quam in fide errare non posuerint* (b) Et quamvis Spiritus S. Ecclesiam deserere non posset, nec Ecclesia,

vere
a Lib. I. ep. 4. in Regist. b Luth. de Capt. Babylon.